

5054 basis quadrata alta cent. 9, lata cent. 13, crassa cent. 12, litteris vetustis, punctis quadratis. Montorii ad Vomanum apud pharmacopolam Martegiani.

D · FVNDILI  
N · L · H · D · D

Recognovit Dressel. Felix Barnabei in schedis Instit. archaeol. Rom. a. 1868 et *Giorn. degli scavi di Pompei* 4 (1868) p. 73.

*D. Fundili(us) N(umerii) l(ibertus) H(erculi) d(onum) d(edit).*

5055 columella alta c. 35 cum basi scripta litteris saec. I vel II. Montorii ad Vomanum apud pharmacopolam Martegiani.

LYCHINIS  
MAG · VEN  
L · M

Dressel recognovit. Felix Barnabei in schedis Instit. archaeol. Rom. a. 1868 et *Giorn. degli scavi di Pompei* 4 (1868) p. 78.

5056 in margine vasis magni, quod pro donario in templo aliquo stetisse videtur. Montorii ad Vomanum apud pharmacopolam Martegiani.

L · PETICV      <sup>sub</sup>ENTES · ME<sup>rito</sup>

Recognovit Dressel. Felix Barnabei in schedis Instit. archaeol. Rom. a. 1868 et *Giorn. degli scavi di Pompei* 4 (1868) p. 79.

5057 litteris antiquioribus. Prope Montorio in ecclesia S. Laurentii supra portam.

P · CAVDIO · P · F

Recognovit Dressel. F. Barnabei *Giorn. degli scavi di Pompei*, n. s. 3 (1874) p. 22.

5058 [= 6178] Poggio Umbricchio in ecclesia parochiali DELF. Ibidem iacet DRESSEL.

SEX · EGNATIVS · T · F  
TESTAMENTO · FIERI  
sic IVSIT & ARBITRATV  
M A X V M A E  
5 CARSEDIAE · T · F

Recognovit Dressel. Delfico p. 140.

5059 [= 6208] in ecclesia S. Mariae di Breciano prope Brozzo a Montorio ad sept.

grATVS · QVI · FVERA: dOMINIS · LIBERQ · PA:RONIS  
dONCIDIT · ET · LAPIDE · HOC · OSSA · TEGENDA · DEDIT

Recognovit Dressel. Delfico p. 141.

## CVII. INTERAMNIA PRAETVTTIORVM (Teramo). Tribu Velina.

Agri Praetuttiani (sic scribendum esse docet titulus n. 5066) meminerunt Polybius (3, 88, 3: καταφθείρας τὴν Πραιπεττιανήν et inde omnino Stephanus Byz. s. v.), Livius (22, 9, 5. 27, 43, 40), Dioscorides (περὶ ὕλης ἰατρ. 5, 10 de vino: ὁ δὲ Πραιπεττιανός — cod. παραιτυπιανός — καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν κατ' Ἀδρίαν κομιζόμενος τόπων, a quo pendet Plinius 14, 6, 60). Plinius (3, 13, 110: *ager Praetutianus Palmensisque*; c. 112: *Palmensem Praetutianum Hadrianumque agrum*; 14, 6, 67: *vina Praetutia atque Anconae nascentia et quae a palma una forte enata Palmensia appellavere*; cf. c. 7, 27), Silius (15, 568: *qua vitiferos domitat Praetutia pubes . . . agros*). Oppidi nomen praeter matriculas militum urbanas (vol. VI n. 3884 II, 23: *T. Attius T. f. Cl. Leo Interam. Pre.*, item in alia nondum edita: *L. Calpetanus L. f. Vel. Crescens Int. Pr.*) et domesticos titulos n. 5084, 5105, 5144, in quibus ethnicum est *Interamnites*, soli habent Ptolemaeus (3, 4, 58 Πραιγουττίων — sic liber — Ἰντεραμνία) et gromatici auctores. Ex his Frontinus p. 18: *in Piceno, inquit, fertur Interamnatium Praetuttianorum (praecuttianorum Arcer.) quandam oppidi partem Asculanorum fine circumdari*. E contrario ex thermis Castronovanis qui prodiit titulus n. 5144 inscriptus *publicum Interamnitium vectigal balnearum* ostendit a colonis illis vicinos Interamnites, fortasse ob aquam ex suo territorio Castrum adductam, vectigal exegisse. Denique in gromaticorum laterculis ubi mentio fit *Interamnae Paletino* (vel *Palestino*) *Piceni* (p. 226, 5; etiam corruptius *Interamna Palestinae Piceni* p. 255, 4; *Teramne* — sub littera *t* — *Palestina Piceni* p. 259, 4), haec intellegitur, quamquam in corruptela quid lateat non satis apparet. — Tribus est Velina (n. 5065 cet.); miles tamen unus ex supra citatis Claudiae adscribitur. — De re municipali parum constat, cum praesertim inter titulos musei Delfici probabile sit latere non paucos Castronovanos Truentinosve potius quam Interamnites, praeterea ex n. 5074, 5075 intellegatur Interamnites extrema aetate liberae rei publicae simul et municipium effecisse et coloniam casu admodum raro (cf. quae de Arretio diximus vol. X p. 89), quo magistratum ratio non potuit non affici. Reperiuntur haec: *praetor* n. 5073 (cf. quae dicentur ad Castronovana) — *quinquennialis* n. 5078 — *octoviri* iique *ingenui* n. 5067 — *sacerdos Augustarum* mulier n. 5068 — *sevir et Augustalis* n. 5085, *sevir* n. 5082, *Augustalis* n. 5080 — *quinqueviri* generis libertini n. 5070.

5072, 5082 (cf. quae dicentur ad Truentina). *Senatus* ordo dicitur fortasse n. 5078, *conscripti* n. 5067, 5076. *Collegium centonariorum Interamnitium* est n. 5084 (cf. n. 5077).

Contribui cum urbicis titulos repertos in vicis proximis Contra, Torricella, Colle Atterrato, Poggio S. Vittorino, Frondarola, Miano, Forcella, Nepezzano.

Pariter atque Hadriae ita Interamniae quoque studia epigraphica diutissime iacuerunt. Saeculo XV unum epigramma n. 5076 CYRIACVS inde videtur habuisse; XVI duo (n. 5088, 5142) innotuerunt per ANGELELLVM et CAESANDRVM HADRIANVM (cf. supra n. 3337). — Mutius MVZJ Teramensis quae collegit, eorum mihi praesto fuerunt sola excerpta apud Delficum et Palmam edita; quamquam chronica Teramensia quae habet codex bibliothecae publicae NEAPOLITANAE (recens emptorum n. 135) ex altero lacero et pessumdato descriptus et passim hians, aut Mutiana sunt aut Mutianis similia. — Io. Ant. SERGIUS quae Mazochio dedit epigrammata Interamnitia perpaucis sunt et in his duo suspecta (n. 504\*, 505\*). — Franciscus BRUNETTIUS (v. supra p. 399 c. V) utpote Campliensis origine marmoribus Aprutinis suis ms. ex hac regione plura inseruit quam ex reliquo Aprutio; syllogem ipsam non habui, expilaverunt eam ANTINORIVS, qui alia quoque Terami aut ipse descripsit aut ab Alexandro TVLLIO et Delfico eo, de quo mox dicturi sumus, descripta accepit, et Delficus et Palma. — Longe plura quam priores protulit Iohannes Bernardinus DELFICO, qui cum per multos annos oppidi et agri titulos in aedes suas comportasset, et eos et reliquos Interamnites sibi notos edidit in commentario *dell' Interamnia Pretuzia* (Neapoli 1812. 4. pp. 151 et 34). Exempla satis diligenter facta sunt, origines non indicantur, sane incommode, cum praesertim probabile sit non paucos lapides in id museum venisse ex agro Praetuttiano late patente. Hodie titulorum eorum plerique Terami sunt in curia, pauci etiam nunc in domo Delfici, reliqui desiderantur. — Delficum excepit Nicolaus PALMA editis de Interamnia commentariis (*storia ecclesiastica e civile della regione piu settentrionale del Regno di Napoli detta dagli antichi Praetutium, ne' bassi tempi Aprutium, oggi città di Teramo e diocesi Aprutina*. Terami voll. 1—5. 4. 1832—1836), ad quae addidit alia in ephemeride *Teatina Filologia Abruzzese* (vol. 7 a. 1838 p. 129 seq.: *sunto della storia di Teramo*), alia in